Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26261
Copyright: Admont, Benediktinerstift

creatori meo. Respondit ei narcissus. Ipse ore tuo confes-
sus es christum pro peccatis hominum passum esse. Si ergo quoniam pro peccatis
hominum passus est. sic et pro demonum impietate passus est.
esset et restituere [rogat] te creatori tuo. Nunc vero quia sic pro peccatis ho-
minum [passus est] ut principem vestrum effugaret et tu vade ad prin-
cipem tuum. Dicit ei demon. Fac pietatem tuam in me et da
mihi vel unam animam in possessionem atque potestatem. Dicit ei
narcissus. Si dedero tibi animam in potestatem. quid de ea fa-
cies. Dicit ei demon. Interficio hominem et lucror animam
eius. Dicit ei narcissus. Mane prima luce ego dabo tibi.
Dicit ei demon. Dic mihi ante dominum. si des mihi animam in-
tra corpus inclusam. quam ego possideam. Dicit ei narcissus.
Ante dominum meum dico quod tibi dabo animam intra corpus
inclusam. manducantem et bibentem degentem. dormi-
entem. et euigilantem. Dicit ei demon. Modo iube me
manere hic nocte ista. Dicit ei narcissus. Si potes ma-
nere. nobiscum mane. Dicit ei demon. Si non expandas
manus tuas ad celum et flectas genua. et non psallas deo
tuo. possum hic manere. Dicit ei episcopus. Numquam bene tibi sit spiritus
inmunde. Non solum ego autem sed omnis iste mecum per totam
noctem deo nostro flectunt genua. et uigilias laudesque
canunt. Tunc demon dire uocis ululatum teterrimum
emittens. nusquam comparuit. Sanctus autem episcopus fecit post ieiuni-
um reficere afram et matrem suam cum puellis suis tre-
mentes pro eo quod audierant et uiderant. atque easdem
monitis suis ac orationibus confortavit. ipse autem cum sancto